

Speculatissime Domine Decane.

Ad quatuor quaestiones a D. D. Schwanzero nobis propositas in hunc modum respondeo.

1. Describitur character lithotomorum, quod sint cetera quidem satis rudes, in arte sua tamen satis periti. Nescio an ad illos etiam pertineat antea dictum, quod cathetrem in vesicam demittere non potuerint. Quod si non potuerunt; nec illum duvo corpori illisum senserunt: non potest sufficiens declarari illa per digitum anò immissum exploratio. Potuit enim ipsis imponere tumor in collo vesicae subsistens.
2. Pruni immaturi magnitudo inuoluit notionem valde vagam & obscuram. Et pruna duntur silvestria, distensa, et domestica variae magnitudinis. Omnia immatura sunt, a quo tempore florum petala deciderunt et fructus rudimenta supersunt. Sed primit diebus vix granum tritici superant deinde cresunt. Valde exiguum, si loco imò expulsus sit, habitare posse, vero sit simile: sed de masculo videtur dubitandum. Si admodum sit exiguum, videbitur per urethram expelli debere; ut quotidie videmus sat notabiliter prodire. Sed illum unquam ab hoc egrotato provenisse, in historia morbi non inuenio.
3. Sabulum rubrum illico a missione urina fundum matulae petens signum est calculi in renibus obhaerentis. Illius resolutionem incepit medicina lithotriptica Anglicana, sub cuius ^{vfu} prodit in historia morbi descripta materia: aut ^{potius} debetur effectui pulueris Ludouiciani sub num. 23. descripti. Quicquid sit de causa, quae materiam eduxit: clarum puto esse quod sit in corpore egroti minera sabulosa, quae descensu suo collum vesicae arrosam et exulceratam irritat novo attritu. Quod autem non continuo id fit, sed per intervalla periodica, ex eo elucet indoles rheumatica aut potius arthritica, quippe quae pathemata cum nephritide familiariter conspirant, et in aliquibus breuiora in aliis longiora intervalla habere assolent.
4. De curatione plenaria et solida in hoc senex sexagenario iam maiore non adeo magnam spem fecero. Hanc autem sequere
in curam

in curando rationem, ut remotis a victu omnibus valde
 crassis & nutrientibus, maxime vini et cerevisie crassioribus &
 valentioribus, vel potius ad aliquot tempus omnibus spiritus-
 uis, remotis, solis humidantibus blandis et demulcentibus uten-
 dum suaderem; qualia sunt serum lactis dulce, pituita herbi-
 et radicibus, ut asparagi, foeniculi, apii, pistari alterata,
 quibus, quando ver redierit, turiones, germina, herbae tene-
 riores, earum succi, adiciantur; ut taraxacum, intybus, la-
 tuca, cichoreum.

Atque his equidem confido multum impetrari posse lenimenti
 et leuamenti. Quando paroxysmus instat, uti vellem infuso flo-
 ridarum summitatum millefolii, aut aqua destillata vinoso inde
 parata, pro exigentia rei detuenda. Deinde mature iniicien-
 dos curarem clystere antispasmodicos, quippe qui proxime locum
 patientem contingunt, atque fibras tenfas relaxant. Clysteribus
 aliquando interponerem suppositoria ex mentis lenientibus &
 anodynis facta: cuiusmodi ex emplastro styptici Crotti Zij
 cum oo hyperici et balsamo Peruviano, q. s. ad consistentiam
 parare soleo, et in duas aut tres partes dividere. His
 bene moder illa serum dysuria valde leuatur.

Intermit medicinis salinis abstinerem in hoc seruo: siue
 sint pulueres, siue tincturae, siue alio speciosiori nomi-
 ne veniant.

die XIX Nouembr.

1743.

J. Schulze